



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 An reiterari poßit Baptismus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

contra vnitatem sacramenti Baptismi, de quo agimus: quia, vt ostensum est, Baptismus sanguinis, neque est sacramentum, neque habet proprium effectum sacramenti Baptismi.

Baptismus flaminis, metaphorice Baptismus.

Tandem solet etiam interior contritio cum proposito suscipiendi sacramentum Baptismi, Baptismus flaminis appellari: sed haec etiam est metaphorice, & analogica significatio Baptismi. Vnde constat, huiusmodi motum cordis non esse sacramentum: quia nullum sensibile signum includit, aut requirit, nec proprium aliquem effectum habet ex opere operato, sed solum ex dispositione operantis cum diuino auxilio, secum affert gratiam sanctificantem, & remissionem peccati: non autem characterem, qui est proprius effectus sacramenti in re ipsa suscepti. Vnde fit, vt huiusmodi Baptismus flaminis iterum atque iterum haberi possit: quia post vnum contritionem, potest optime haberi alia: & vt post illum non solum possit, sed etiam debeat recipi Baptismus aquae, si facultas illum suscipiendi concedatur, vel etiam Baptismus sanguinis, si ita occasio tulerit: est ergo metaphorice, & analogica haec appellatio Baptismi, quae fundatur in supra dicta proportione: Baptismus enim proprie est remedium per se necessarium ex institutione Christi ad delendum originale peccatum, quia vero non semper in re ipsa applicari potest, & per internam contritionem cum proposito seu desiderio illius, interdum suppletur virtus eius, quoad hunc effectum: ideo talis contritio includens hoc propositum Baptismi, & supplens vicem eius appellari solet Baptismus flaminis, seu Baptismus in voto. Quo fit, vt quauis latiori quadam significatione, quaelibet contritio appellari soleat Baptismus poenitentiae, seu lacrymarum, vt constat ex Damasceno libr. 4. de fide c. 10. & Nazianz. Oratione 39. versus finem. specialiori tamen modo illa contritio, quae antecedit realem Baptismi susceptionem & includit votum eius: eaq; ratione delet originale peccatum, hanc Baptismi flaminis appellationem suscipit, sicut de Martyrio supra dicebamus: illud specialiter vocari Baptismus sanguinis, quod Baptismus aquae antecedit, & vicem eius supplet. Ex quo etiam obiter intelligitur, quod licet post susceptum Baptismus aquae possit aliquis Martyrium subire, vel contritionem de peccatis habere, proprie tamen iam non est capax Baptismi sanguinis, aut flaminis, quia iam non est capax contritionis, vt includit votum Baptismi, neque etiam Martyrio indiget, vt suppleat Baptismi vicem, haec igitur variae Baptismi nuncupationes nihil obstant specificae vnitati sacramenti Baptismi. Atq; ex his satisfactum est rationibus dubitandi in principio positus.

Quauis contritio potest dici Baptismus poenitentiae seu lacrymarum. Damasc. Nazianz.

Corollarium

SECTIO II.

Vtrum sacramentum Baptismi vnum tantum numero recipi possit in eodem supposito, ita vt iterari non possit.

Declarata specifica vnitatem, dicendum est de numero, supponimus autem id, quod per se manifestum est, in diuersis subiectis seu hominibus Baptismata multiplicari secundum numerum, & in vnoquoque habere suam numericam vnitatem, quia in diuersis hominibus necesse est diuersas fieri ablu-tiones: Neque curiosose inquirere oportet, quomodo sint diuersa Baptismata, si contingat plures hac vna forma baptizari: Ego vos baptizo. Facile enim responderi potest, vel sufficere distinctionem materiae, vel quod probabilius est, formam illam, quauis in materiali sono vna videatur: tamen significatione & sensu esse plures: nam aequaliter his, Ego baptizo te, & baptizo te, &c. Rursus disputare non oportet, quomodo Baptismus in vno subiecto fit vnus numero, cum ex multis rebus constat, ablu-tione scilicet, & verbis, quae inter se non habent realem vnionem: iam enim superius, tractando de sacramentis in genere, dictum

est vnitatem sacramenti esse similem vnitati rerum artificialium, quae semper constant ex pluribus partibus, quae inter se non semper vniuntur reali vnione, sed solum ordine quodam, vel alia morali, seu artificiali coniunctione. Sit ergo certum, in vno & eodem subiecto habere Baptismus vnitatem numericam sacramentalem, & in subiectis diuersis posse eundem numerum multiplicari.

Quaestio igitur superest, an in eodem subiecto possint recipi plura Baptismata numero distincta: quae in duplici sensu tractari potest. Prior est: an simul & in eodem instanti possit aliquis recipere duo sacramenta Baptismi: & de hoc non agimus in praesenti, tum quia inferius habebit commodiorem locum in materia de ministro, tractando quaestionem illam, an possit aliquis a duobus baptizari: tum etiam, quia illa multiplicatio Baptismatum, si possibilibus est, partum ad rem Theologicam refert: est enim valde materialis: nam in effectu, & in formali significatione ex parte rei significatae illa Baptismata vna sunt, & per modum vnus conferuntur. Posterior ergo sensus est an successiue possint in eodem subiecto Baptismata multiplicari, quod est quaerere, an Baptismus semel susceptus possit iterari, aut iterum dari.

In qua re fuit antiqua haeresis affirmans: posse hominem ter baptizari. Ita refert Epiph. haeres. 42. nullum tamen assert illius fundamentum: neque ego illud inuenire potui. Solet etiam hic error tribui Donatistis: sed hi, quamuis errarent in eo, quod Baptismus Ecclesiae non admitterent tanquam verum & ratum: & ideo re ipsa baptizarent iterum eos, qui rite erant baptizati: tamen formaliter non docuerunt, posse iterum baptizari eum, qui semel est rite baptizatus: vt sumitur ex Augustino lib. 2. contr. lit. Petilian. c. 25.

Quocirca dicendum est: vnum hominem semel tantum baptizari posse, atq; ita sacramentum Baptismi non esse iterabile, nec posse esse, nisi vnum numero in eodem subiecto. Conclusio est certa de fide, quae primo a D. Tho. hic probatur ex illo Pauli ad Ephes. 4. Vnus Dns, vna Fides, vnum Baptisma. Quod testimonium eludi potest iuxta expositionem supra datam de vnitatem specificam Baptismi, quae videtur satis consentanea intentioni Pauli: intendit enim ibi persuadere concordiam, pacem, & charitatem inter Ecclesiae membra: ex eo, quod omnia eandem gratiam sint consecuta, & vno Baptismo regenerentur, quod necesse est intelligi de specifica vnitatem: sicut quod ibidem dicitur, omnium esse vnam fidem: necesse est intelligi, de vnitatem specificam, vt significauit Aug. li. 33. de Trinitate. 2. quia neq; in omnibus fidelibus, neq; in vno & eodem, necesse est fidem esse vnam numero, potest enim semel per haeresin amitti, & iterum comparari: & tunc non idem numero fidei habitus recuperatur, sed diuersus. Sed quamuis haec expositio maxime literalis videatur, nihilominus alia reuicenda non est, quam Ansel. ibi, & D. Tho. sequuntur, & alij Patres qui ea hoc loco vniuntur ad veritatem propositam confirmandam, Leo Pap. Epist. 37. ad Leonem Episc. Rauennatem, c. 1. Scimus, inquit, inexpiabile esse facinus, quoties cogitur aliquis lauacrum, quod regenerandi semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante doctrina, quae vnam praedicat in Trinitate Deitatem, vnam in fide confessionem, vnum in Baptismate sacramentum, Similia habet Episc. 89. ad Nicet. c. 7. Hanc regulam seruandam omnibus Ecclesiis praedicamus, vt lauacrum semel initum, nulla iteratione violetur: dicente Apostolo, Vnus Dns, vna Fides, vnum Baptisma. Et eandem expositionem sequitur Ambros. lib. 2. de Poeni. cap. 2. vbi eandem veritatem confirmat ex alio Pauli testimonio, ad Hebraeos dicentis: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiam donum caeleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteque saeculi venturi, & pro-

& prolapsi sunt, iterum renouari ad Penitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsos in hunc Dei. Nam in his verbis aperte loquitur Apollolus ad eos, qui baptizati sunt, & post baptismum peccauerunt, quos illuminatos vocat. Nam quia per fidei diuinitus illuminamur, & Baptismus ad sacramentum fidei ac solennis fidei professio, ideo & ipse Baptismus, illuminatio & baptizati, illuminati, vocari solent. Et hoc modo loqui solent praeque Patres Graeci, vt videre licet apud Clementem Alexandrinum, li. 1. Pedagog. c. 6. & Nazian. Orat. 40. Chryl. Homil. ad Neophyt. & Cyril. Hierosol. in Cateches. Illuminatorum. Non intendit a. Paulus, vt quidam heretici existimauerunt, & cuius Tertull. li. de Pudicit. c. 20. non posse hos illuminatos a statu gratiae lapsos, ad eum per Penitentiam restitui. Hoc n. (vt recte notat Ambr.) contrarium esset eidem Paulo i. ad Cor. 5. docenti, et fidelibus & baptizatis, peccata per Penitentiam condonari. Solum igitur docet, huiusmodi hominem lapsum non posse iterum renouari, vtique per Baptismum. Per laucrum. n. (inquit Ambr.) renouamur, per quod renascimur, sicut ipse Paulus dicit (ad Rom. scilicet 6.) Consepulti sumus cum illo (scilicet Christo) per Baptismum in mortem, vt quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitae ambulemus. Quod inferius et confirmat ex illis verbis. Iterum crucifigentes. Nam in eo, inquit, qui baptizatur, crucifigitur Filius Dei, quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Iesu. Denique scriptum est ad Rom. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus. Et infra. si n. complantati sumus similitudini mortis eius, ita & resurrectionis eorum, scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est cruci. Et ad Coloss. 2. Consepulti ei in Baptismo, in quo & conlurreximus, ergo quia ad Hebraeos: Accursus crucifigentes filium Dei, eo spectat, vt de Baptismo dictum credamus. Itaque qui post primum Baptismum, alterum suscipere tentat, dicitur iterum Christum crucifigere, quia repraesentatione, & professione ipsa, vel prosterit Christum bis mortuum, vel significat primam Christi mortem non sibi sufficere ad salutem, & alia indigere: & hanc huius loci expositionem habet etiam August. libr. de Ver. & Falli. Penit. ca. 3. Epiph. haeres. 59. in principio. Chryl. Hom. 9. in ad Heb. Theodor. & Theophyl. ad Heb. 6. Phyl. haeres. 89. qui in eodem sensu explicant aliud testimonium Pauli ad Heb. 10. quod ex professo tractabimus infra de sacrificio disputantes.

Secundo principaliter probatur conclusio ex Ecclesiae definitione. Hoc enim sensu dictum est in symbolo Apostolorum, Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum, vnde ex eorundem Apostolorum doctrina dixit Clemens Rom. li. 6. Confit. c. 17. Vno Baptismo sumus contenti, qui in Domini morte traditur. & infra de his qui Baptismum iterare audet, dicit: Crucifigunt Dominum, derident diuina. Praeterea idem definitur in Conc. Viennens. prout habetur in c. vnic. §. vt. de sum. Trinit. lib. 6. & in Concil. Flor. in Decreto Eugenij, & in Trid. sess. 7. ca. 9. de sacramentis in genere, & c. 11. de Baptismo, & eodem sensu Conc. Carthag. primum cap. 1. prohibentur rebaptizatioes, & regulae fidei contrariae dicuntur. Atque eadem est veterum Patrum traditio, vt videre licet, praeter citatos, apud Cypria. Epist. 63. ad Caecilium, & serm. de ablutione pedum. Quem sui reuerentia non patitur iterari, Basilus lib. de Spiritu sancto, cap. 15. Non (inquit) iudeorum more in quibuslibet inquinamenti ablumur, sed vnum nouimus salutiferum Baptisma, quandoquidem vna est pro mundo mors, & vna ex mortuis resurrectio, quarum figura est Baptisma. Idem docet Tertull. libr. de Bapt. cap. 15. Oportet, libr. 5. cont. Parm. Damasc. libr. 4. cap. 10. Aug. tract. 5. n. 1. & 15. in Ioan. Epist. 203. & 204. & frequentissime in libr. contr. Donatistas.

Vltimo asserre possumus rationes, quarum prima

fundanda est ex Christi institutione, ab illa n. origine trahit, quod Baptismus iterari non possit. Vnde, vel corrigenda, vel pie exponenda sunt verba Hugonis, lib. 2. de sac. p. 6. c. 13. dicentis: Valde rationabili definitione a sanctis Patribus institutum est, vt qui semel Baptismi sacramentum percepisse cognoscitur, nulla ratione illud iterato accipiat. Nam quod ait, Institutum est, perinde dictum videtur, ac si diceretur, traditum, declaratum, ac definitum est. Alioquin n. certum est, propriam huius rei causam in Christi Domini voluntate, & institutione esse positam. Nam quae sunt de necessitate sacramentorum, cum in sola rei natura non habeant fundamentum, ex voluntate instituentis orta sunt. Etenim, quod ablutio facta sub debita forma verborum, si fiat circa hominem baptizatum, non sit sacramentum, nec signum rei sacrae: neque ex ipsa rei natura oriri potuit, neque ex sola Ecclesiae institutione. Nam, si ex vi institutionis Christi illud esset subiectum capax talis sacramenti, cum alioqui materia & forma de se sufficientes sint, & non possit Ecclesia impedire, quo minus tale sacramentum conficeretur, ergo dicendum est, hominem semel baptizatum, diuino iure esse subiectum incapax alterius Baptismi, atque hoc modo ex diuino iure esse vt hoc sacramentum iterari non possit: haec autem institutio ex praedictis testimoniis & definitionibus, sufficienter nobis constat. Rationes vero seu congruentiae huius institutionis optime sunt, quas Diu. Tho. ibi adduxit a. 1. potissimae vero sunt, quae sumuntur ex hinc huius sacramenti ordinatur n. hoc sacramentum primo ad remissionem originalis peccati: hoc aut peccatum vnicum est, & iterari non potest: & ideo remedium illius semel tantum applicari oportet, sicut in circumcissione nebat.

Dices, fieri posse, vt Baptismus semel datus non efficiat praedictum effectum: ergo hac saltem de causa oporteret eum posse iterari. Respondetur, & per se, quantum est ex parte sacramenti, nunquam posse carere suo effectu: in institutione autem sacramenti attendenda sunt ea, quae sunt per se, non quae per accidens ex defectu subiecti. Ac deinde et in eo casu, quando Baptismus impeditur, ne suum effectum habeat propter dispositionem suscipientis, recedente hincione, & impedimento ablato, potest postea habere suum effectum, vt infra dicemus, propter hanc ergo causam non fuit necessarium hoc sacramentum iterari.

Dices, quamuis originale peccatum iterari non possit, tamen post illud remissum possunt alia committi, quibus Baptismi effectus destruat, & amittatur: ergo vt ille effectus possit reparari, oportuit Baptismum iterari. Respondetur negando consequentiam, ad summum enim concludit, necessarium seu conueniens fuisse, institui aliquod sacramentum, quo peccata post Baptismum commissa deleterentur, non vero illud esse Baptismum, quia alius modus remissionis, & facilior venia concedi debet homini contrahenti originale peccatum, aut etiam peccanti ante susceptum Baptismum, quam ei, qui postquam per Baptismum illuminatus est, a suscepta gratia cadit, vt latius in materia de Penitentia dicturi sumus. Secundo, cum praedicto sine Baptismi coniuncti sunt alij, nimirum, quod per illum regeneramur in Christo: vnde sicut generatio ex vna vnicam tantum est: ita regeneratio in Christo vnicam tantum esse debet. Item, quod Baptismus institutus est, vt per illum Christo contignemur, & efficiamur membra eius, & Ecclesiae eius, & ideo per illum imprimatur character, qui est effectus omnino inseparabilis a Baptismo, & atque omnino indelebilis, postquam semel impressus est, vt supra, q. 63. latius dictum est, & ideo sicut character eiusdem rationis multiplicari non possunt in eodem subiecto: ita neque Baptisma iterari.

Sed quares obiter, quid agendum sit, quando dubium est, an Baptismus fuerit datus, vel an fuerit validus. Respondetur generalem regulam esse, quando dubium est morale ac probabile, Baptismum esse dandum

Hugo

Congruentia ista est oportuerit Baptismi, non iterabilem a Christo instituitur.

Obiectio.

Respondetur 1^o 1^o

Respondetur 2^o 1^o

Alia obiectio

Respondetur 1^o

Alia congruentia ista quae characteris ratio redduntur.

Dubitatio.

Respondetur 1^o

Clemente A. Alexand.

Ambr.

Aug. Epiph. Chryl. Theodor. Theophyl.

Concil. Viennens. Flor. Carthag.

Tertull. Damasc. Aug.

Vitimo va.

dandum sub conditione, si non est baptizatus, ut habetur in cap. 2. Exera de Baptismo, ubi significatur in huiusmodi euentu conditionem esse his verbis exprimendam: Si baptizatus es, non te baptizo. sed si non dum baptizatus es, ego te baptizo. Sed hoc intelligendum censeo, tum in solemnibus Baptismo, tum maxime, quando dubium est publicum, ut omnis occasio scâdali auferatur. Si autem dubium occultum sit, aut Baptismus secreto conferatur, satis erit conditionem mente, atque intentione concipere. Rationem autem huiusrei tradit Leo Papa in Epistolis supra citatis, dicens: Providere itaque debemus, ne dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandum incidamus animarum: & Epist. 92. ad Rusticum ca. 15. agens de huiusmodi dubio, inquit: Agendum est, ut renascantur, ne manifeste peccant, in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non finit, ut videatur iteratum & infra. Conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur, quia non temeritas interuenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis. Ratio itaque est, quia per hoc subuenitur probabili periculo animarum, ne regeneratione Baptismatis priuatur, & alioqui nullum est periculum reiterationis, quia conditio apposita, seu concepta, illud omnino excludit.

*Ratio Leo-
nis pap.*

*Dubium
facti dupli-
citer acci-
dit.*

Est autem animaduertendum, duplex posse esse hoc dubium: vnum iuris: alterum facti: iuris voco quando constat adhibitam esse materiam, vel formam dubiam, quod variis modis contingere potest ut constat ex supra dictis, tum de sacramentis in genere: tum ex dictis de materia & forma huius sacramenti. Dubium facti appello, quando absolute incertum est, an datus sit Baptismus: quod duobus modis potest accideri. Primo, ut sit omnino negatiuum, quia videlicet nulla sunt indicia ad iudicandum, hominem esse baptizatum: & tunc non est dubium, quin homo possit iterum baptizari, modo superius dicto: in hoc n. casu praecipue loquitur Leo Papa supra, & Greg. 3. Epist. 4. ad Bonifacium, & referitur in capitulo. Parulos, ca. Cui itaque, c. Si nulla, de Consec. d. 4. Alio modo potest esse dubium, quasi positium, ut contingit, quando sunt aliqua parentia indicia ad credendum hominem esse baptizatum: non tamen sufficientia, & aliunde sunt et apparentes coniecturae, quae oppositum persuadeant. Et in huiusmodi euentu, si coniecturae vere efficiunt rem dubiam, et debet dari Baptismus sub conditione, & hoc sensu intelligendum est, quod dicitur in 6. Synodo. can. 84. Quoties non inueniuntur firmi testes, qui eos absque ulla dubitatione baptizatos esse dicant, nec ipsi propter aetatem de sibi tradito mysterio apte respondere possint, debere baptizari, & in Concil. Carth. 5. c. 6. idem dicitur, quoties non inueniuntur certissimi testes. Atque idem habetur in Conc. Africano ca. 39. & Concil. V Vormaciensi. can. 70. Et ubique ratio redditur, ne homo exponatur periculo damnationis ob carentiam Baptismi. Et ideo in huiusmodi dubio semper inclinandum est in fauorem hominis baptizandi, quia salus eius est res maximi momenti, & alioqui nulla sit iniuria sacramento, quia debita intentio & conditio apposita, omne periculum reiterationis excludit, neque intelligitur esse iteratum, quod ambigitur, an sit datum, ut dicitur in capitulo ultimo, de Presbytero non baptizato.

*Explicitur
practica
Concilia.*

Quamuis autem in praedictis decretis, videantur postulari plures testes, fide digni: nihilominus communiter auctores censent, si adsit vnus testis oculatus, qui dicat se vidisse hominem baptizari, & alioquin nulla sit verisimilis suspicio perniciosi mendacii, id satis esse, ut Baptismus non sit iterandus, quia illud testimonium sufficit ad faciendam moralem fidem excludentem dubium, & rationabilem suspicionem. Quin potius, quamuis non adsit testis oculatus: si tamen homo natus est ex fidelibus parentibus, & inter Christianos educatus, vsque ad eam aetatem, in qua solet omnes baptizari, & aliunde nul-

la est probabilis ratio dubitandi de Baptismo, non est in dubium reuocandus, quia praedicta coniecturae coniunctae cum communi Ecclesiae consuetudine faciunt, sufficientem fidem, donec euidentiisimis argumentis contrarium probetur, ut dicit Innoc. 3. in c. ult. de Presbytero non baptizato. In illa ergo locutione praedictorum canonum, vel plurale positum est loco singularis, ita ut illo dicendi modo solum significatum sit, requiri tale testimonium, quod ad firmam fidem generandam sufficiat, vel certe intelligendum est, requiri plures testes, quando non sunt aliae coniecturae, quae vel per se solae, vel cum vnus hominis testimonio coniunctae ad moralem certitudinem generandam sufficiant.

Vltimo loco dubitari poterat, quale peccatum sit Baptismus iterari, & quae poena sit illi imposita: sed de hac re dicemus in disputatione morali.

ARTICVLVS X.

Verum ritus, quo Ecclesia in baptizando vtitur, sit copueniens.

Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod non sit conueniens ritus, quo Ecclesia vtitur in baptizando. Vt enim dicit Chrysostomus, nunquam aqua Baptismi purgare peccata creditur, nisi factu Domini Corporis sanctificata fuerit. Hoc autem factum fuit in Baptismo Christi, qui celebratus in festo Epiphaniae. Ergo magis debet celebrari solemniter in festo Epiphaniae, quam in vigilia Pasche, & in vigilia Pentecostes.

2. Præterea, ad idem sacramentum non videtur pertinere diuersarum materiarum vsus. Sed ad Baptismus pertinet ablutio aque. Inconuenienter igitur ille, qui baptizatur, bis inungitur oleo sancto, primum in pectore, deinde inter scapulas, & tertio chrismate in vertice.

3. Præterea, in Christo Iesu non est masculus neque femina, Barbarus, & Scytha, & eadem ratione nec aliqua alia huiusmodi differentia. Multo igitur minus diuersitas vestium aliquid operatur in fide Christi. Inconuenienter igitur baptizatis traditur candida vestis.

4. Præterea, sine huiusmodi obseruantia potest Baptismus celebrari. Hac igitur qua dicta sunt, videtur esse superflua, & ita inconuenienter ab Ecclesia instituta esse in ritu Baptismi.

Sed contra est, quod Ecclesia regitur Spiritu sancto qui nihil inordinatum operatur.

Respondeo dicendum, quod in sacramento Baptismi aliquid agit, quod est de necessitate sacramenti, & aliquid est, quod ad quandam solemnitatem sacramenti perinet. De necessitate quidem sacramenti est forma, que designat principale causam sacramenti & minister, qui est causa instrumentalis, & vsus materiae, scilicet ablutio in aqua, que designat principale sacramenti effectum. Cetera vero omnia, que in ritu baptizandi obseruat Ecclesia, magis pertinent ad quandam solemnitatem sacramenti: que quidem adhibentur sacramento propter tria. Primo quidem ad excitandam deuotionem fidelium, & reuerentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate, de facili ab aliquibus estimaretur quasi quadam communis ablutio. Secundo, ad fidelium instructionem. Simples enim qui litteris non erudiuntur, oportet erudiri per aliqua sensibilia signa, puta per picturas, & aliqua huiusmodi. Et per hunc modum per ea, que in sacramento aguntur, vel instruantur, vel sollicitantur ad querendum in his, que per huiusmodi sensibilia signa significantur. Et ideo, quia præter principale sacramenti effectum, oportet quadam alia scire circa Baptismus, conueniens fuit, ut etiam quibusdam exterioribus signis representarentur. Tertio, quia per orationes & benedictiones & alia huiusmodi, cohibetur vis damnis ab impedimento sacramentalis effectus.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus in Epiphania baptizatus est Baptismo Iohannis, ut supra dictum est. Quo autem